



J. M. Thiele X. S. 1712.

1. Chrysianus Wilhelmi de Feio et aliorum.
2. Joh. Amelii de eiusmodi enim fiducialium obtinendi expectationem p[ro]p[ter]e sit et differt.
3. Petri Mulleri de Horribus oblatiis.
4. Chrysianus Thomasii de causis prohibitorum alieni feios.
5. Sam. Gregorii de Castela abundanti in fratreby.
6. Chrys. Wilhelmi de causibus non debilibus.
7. Wolffgangi & Joh. Schillingi de obligis oratione.
8. Chrys. Wilhelmi de conductae cercarioria.
9. Sam. Gregorii de conditionibus contractuum expeditivis.
10. Ad. Beccari de conventione et administratione.
11. Ephraimi Gerardi de iudicio d[omi]ni.
12. Joh. Fr. D. Transtessi de potestate Rectorum et Principum Imperii circuacionib[us] publicis coram eisdem.
13. Pet. Crisp. Lycocri de fatalibus.
14. Chrys. Thomasii de Feio alienabili.
15. Sam. Gregorii de rebus Lucachianis Silvii Schmidii, certis et faciavientis.
16. Chrys. Wilhelmi de fidei communis familiatur et loculum conventionalib[us].
17. Joh. Gotthofedi Bergeri de Carolinis P[re]cieris factis.
18. Petri Mulleri de fidei omnino illigime.
19. Joh. Amelii de fidei fundatione boni conforto.

20. Petr. Almanri de Flit qui iuste terminum à  
Hofe etc.
21. Gv. helmi Hieronymi Brückeri de Romanis Imperiis  
foris licetate preciue reali ac aperte
22. Guarini Gentili de Finis Lenocinii.
23. Petr. Mulleri de Lectionis primi ordinis.
24. Crisp. Joh. Wiburgi de gladio in Sacramentum revo,  
testim deponendo.
25. Am. Planii Tompji de Crimine clavige.
26. Abbr. Bruck. Poetica de Antilomedonia corve expedito
27. Petr. Mulleri de Malendinis. "Finis uigilie."
28. Crisp. Wiburgi de negligencia ministri principis  
non obligante.
29. Herm. Peccati de lice appendi.
30. Crisp. Wiburgi de termino perennioris solutionis  
et molestacionis cambiorum.
31. Petr. Mulleri de Accipitaria.
32. Guarini Gentili de Ratificatione Petri.
33. Sam. Brytii de Saccularis et Delectariis.
34. Ambr. Almanri de Senio creditorum.
35. Balb. Womberi de purby Vicarioy. Dic. i.
36. Crisp. de Vicariatu. Dic. II. Dic.
37. Sam. Bryt. de Alii Foros. lib. XXII Dic.
38. Joh. Petr. Lutetij de Conductione villarum.
39. Theor. Lichouperi de Cittatis Harfaticis.
40. Jacob. Higorelli de Authoritate tuis civiliis etiamque.
41. Joh. Ernst. Vitzthumius de istiusmodi bello utrumque pro  
in fortissima no[n]governata fortissima huius fortissimorum.
42. Crisp. Willigen über die egypt. Thes. fortissimorum  
Vigilie.

24a

# PROGRAMMA QVO SACRORVM STVDIORVM CVLTORES AD LECTIONES SOLENNES

A

M. DANIELE OTTONE KEGELIO  
QVEDLINB. AD D. BENEDICT. DIACONO  
S. THEOLOGIÆ CANDIDATO  
IN PVBLICO THEOLOGORVM AUDITORIO  
HABENDAS  
*INVITANTVR.*



HELMSTADII,

---

TYPIIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCIX.



SACRORVM STVDIORVM CVLTORIBVS

S. P. D.

CHRISTOPH. TOBIAS WIDEVRGIVS

S.S. Theol. D. & Prof. publ. ordin. Acad. JUL. Senior,  
& Facultatis Theologicæ h. t. Decanus.

**I**Neffabilem in eo veneramur clementissimi Numinis bonitatem, quod ab initio fere mundi promissionis verbo in fidei nostræ confirmationem corporea addidit signa. Postquam videlicet primi generis nostri parentes partim persuasoriis infernalis serpentis rationibus inducti, partim liberæ voluntatis abusu in peccatum prolapsi sunt; tam horribilis omnium facultatum corruptio in nos transit, ut intellectus tenebris obscuratus nec creatorem salutariter agnoscere queat, nec infallibili ejus verbo, absque dubitatione nebulis assensum præbere. Cum igitur promissiones evangelicæ fidem in nobis requirant, benignissimus Deus pro immensa ~~quæstione~~ humanæ infirmitati consuens, evangelium de semine mulieris caput serpentis contrituro non solum divina voce mortalibus manifestavit, sed etiam, ut oblatam in verbo gratiam exclusa omni dubitatione, immota fide amplectentur, paternas promissiones visibilibus signis confirmavit. Ad horum classem merito referunt sacrificandi ritus,

ritus, quo corporalia sacrificia immortali Deo obtulerunt. Hic enim, cum e manifestis lumine naturæ notis principiis non interrupta demonstrationum catena deduci nequeat, naturaliter innotescere non potuit, sed ab ipso creatore institutus & lege positiva præceptus existimatur. Fuerunt externi hujusmodi ritus umbra ac typi futurorum bonorum, præcipue corporalia signa sanctissimi illius sacrificii, quo unigenitus Dei filius, & simul semen mulieris in paradiſo promisum, *semen ipsum tradidit pro nobis oblationem & victimam Deo, in odorem bona fragranie* Eph.V.2. Post diluvium cceli terraque Dominus cum Noacho, & cum semine ejus, & cum omni anima vivente in generationes seculi foedus pepigit. Addidit vero & huic Deus viabile signum, coelestem iridis arcum; quem significandæ gratiæ divinæ maxime accommodatum esse satis intelligent, qui plene cognoverunt ea, quæ de iridis figura, coloribus, magnitudine & apparitionibus ex opticorum principiis demonstrantur. Sed ad ea transire placet, quæ benignissimum Numen Abrahami & Jacobi posteris dedit corporalia spiritualium bonorum signa. De circumcisione Gen. XVII. ii. leguntur ista: *Circumcidetis carnem præputii vestri: ut sit in signum foederis inter me, & inter vos.* Posterius prolixè describitur Exod. XII. Postquam venit plenitudo temporis misericordie Deus filium suum factum ex muliere, & nova institutu novi foederis signa, qua sacramenta in Theologorum scholis vocantur. *Quid sunt aliud* inquit Augustinus lib. XIX. contra Faustum cap. XVI. *sacramenta quam verba visibilia?* Eadem lib. III. in Pentateuchi. q. LXXX. vocat, *invisibilis gratia visibilia signa.* Sicuti autem Deus quam in verbo nobis promisit spiritualem gratiam visibili bus sacramentorum ritibus velatam oculis subjici voluit, sic salutis sue proterve prodigi sunt, qui sacramentis in fidei nostræ confirmationem divinitus institutis, non satis reverenter utuntur. *Impie quippe contemnitur,* sunt hæc ejusdem Episcopi verba, quæ in eodem libro contra Faustum Manichæum conscripto extant, *sine quo non potest perfici pietas, & contemnor visibilis sacramenti invisibiliter sanctificari nullo modo potest.* De S. Eucharistia gentium Apostolus i. Cor. XI. 29. diserte scribit: *Qui manducas & bibit*

*indigne, sibi ipse judicium edit & bibit, non discernens corpus Domini.*  
Ad hæc verba D. Ambrosius ita commentatur: *devoto animo ac  
cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat, reverentiam  
sedebere ei, ad cuius corpus simendum accedit.* Legi etiam merentur  
Georgii Calixti verba in expositione literali verborum Pauli:  
*Qui sunt impii & infideles judicium sibi menducant eterna damnationis:*  
*Qui vero sunt fideles, sed dissolutioris vita, adeoque non quidem sine fide,  
sed sine moribus, uti par erat, compositis accedunt, hi judicium incurvant  
divinae castigationis.* Hoc argumentum uberiori sibi tractandum  
elegit summorum in Theologia honorum Candidatus dignissi-  
mus, M. DANIEL OTTO KEGELIVS, apud Quedlinburgenses ad D. Benediti Diaconus, qui disputationem inaugura-  
lem de gladio in reverentiam sacramentorum deponendo eruditorum  
examiini expositus, in lectionibus, quas cursorias vocant, doctri-  
nam de sacramentis in genere & in specie breviter, sed eruditè, ex-  
plicabit. Ego vero pro more in academiis recepto qua de ipsis  
vitæ & studiorum cursu accepi, paucis enarrabo. Natales ipsi  
dedit vicinæ liberæ imperialis diœcesis metropolis Quedlin-  
burgum, ad sextum quasi lapidem a nobis distans. In ea  
JOHANNES KEGELIVS Camerarius & ordinis senatorii  
Senior e conjugे ELISABETHA, WILHELMI HAPPACHII,  
Perillustrium Baronum de KNIGGEN præfecti filia, nostrum  
suscepit anno seculi superioris sexagesimo, secundi mensis die  
nono. Hi parentes filium suum a teneris ad pietatem, quæ  
omnium virtutum mater est, assuefecerunt. Postquam vero  
paulatim accrescere coepit, primis literarum rudimentis imbuen-  
dum duxerunt in frequenter patria schola cœtum. Præerat  
illi Vir Clarissimus, SAMVEL SMIDIVS, in humanioribus  
egregie doctus, & ad formanda juvenum studia quasi natus.  
Hujus labores pari dexteritate juvabat JOHANNES  
HENNINGIVS, Con-Rectoris officio probe defunctus.  
Sub his magistris lectione & imitatione optimorum autorum  
ad puram latinitatem, & sermonis elegantiam assuefactus, nunc  
soluto, nunc ligato sermonē diversa dedit prospectuum speci-  
mina. His tyrocinis per humaniorum literarum campus,  
ductum

ductus, & hac ~~temporis~~ in patrio ludo instructus, anno seculi octuagesimo, etatis suae vigesimo, ad doctorum academicorum auditoria mittebatur. Elegit ulteriori cultui florentissimam academiam Lipsiensem. Docebant ibi in publicis privatisque auditoriis praelatas artes & disciplinas. Viri in omni doctrinorum genere clarissimi, FELLERVS, ALBERTI, RECHENBERGIVS, CYPRIANVS, FRIDERICI, & alii, quos noster, fundamentis in patria jaetis majora superstructurus, omnes audivit. Cum Philosophicis Theologiae etiam studia conjungere coepit, & regiam ipsi viam ad sancta penetralia monstrarunt Theologorum celeberrimi, OLEARIVS & CARPZOVIVS. Abruebat Lipsiensium studiorum telam pestifera lues, quæ per varias Germanæ urbes vagata etiam hoc invadebat opulentissimum mercium, & celeberrimum divinæ & humanae sapientiae emporium. Itaque temporum necessitate revocatus quidem fuit in patriam; sed hæc non potuit diu detinere animum discendi cupidissimum. Telam in Lipsensi academia abruptam in Salana eodem tenore pertexurus, frequentissimam illam academiam ingrediebatur anno post octuagesimum primo. Habuit in ea studiorum philosophicorum moderatores præter alias SAGITTARIVM, FRISCHMVTHIVM, WEIGELIVM, nec non JOH. ANDR. SCHMIDIVM, philosophiaæ tum Adjunctum, hodie in Illustri hac Julia Facultatis Theologicæ Seniorem, & Abbatem Mariævallenensem. In eadem academia divinarum scripturarum doctores habuit BECHMANNVM, BAIERVM, GÖTZIVM. Ceterum Wittebergensium Doctorum celebritate permotus, hos etiam videre, & quotquot ex iis scopo suo commodos inveniret, audire desiderabat. Ita Salanam cum Leucorea permutavit, a SAMVELE SCHVRTZ-FLEISCHIO catalogo studiosorum, quem matriculam vocant, adscriptus. Exinde Philosophorum auditoria ingressus, Doctores publicos WALTHERVM, RÖHRENSEVM, KIRCHMAIERVM, nec non RÖMLINGIVM & BOCCIVM Facultatis illius adjunctos audivit. Inter Theologos tum florebat CALOVIVS, QVENSTEDIVS, DEVTSCH-

MANNVS, MEISNERVS, quos magno cum fructu  
audivit. Non contentus fuit animus descendendi cupiditate  
flagrans a tot præstantibus divinæ & humanæ sapientiae Docto-  
ribus multiplicem hauiisse doctrinam: sed cum primis exercita-  
tione profectus augeri persuasus, tum in umbra privatorum,  
tum in luce publicorum coetuum nunc opponendo, nunc  
respondendo, cum commilitonibus in arenam descendit.  
Præterquam enim quod in alumnico Electorali, cuius membrum  
se fuisse, & Electorali simul stipendio adjutum, submissa &  
gratissimamente prædicat, alumnorum Ephoro WALTHERO  
varia dedit specimina; sub præsidio M. MEISNERI, Philosophiæ  
adjuncti, pro loco disputantis, de bellorum causis publice  
respondebat: nec non Præside Donato de pancratio logico &  
metaphysico pro aperienda cathedra disputante, respondentis  
munere defunctus est. In cathedra Theologica moderante  
DEVTSCHMANNO Augustanæ Confessionis articulos, & alio  
tempore Christianæ religionis dogmata juxta seriem Locorum  
Theologicorum aduersus eruditas commilitonum objectiones  
masculæ eum defendisse acceperimus. Ut ad ministerium simul  
ecclesiasticum, cui dudum se consecraverat, præpararetur,  
theoriam ad praxin deducens, frequenter habuit in utroque  
Wittebergenium templo conciones. Noluit tamen sine publico  
vite & studiorum testimonio in patriam redire, adeoque supre-  
mos in Philosophia honores modeste petiit, & suffragante  
Philosophorum ordine, more in academis recepto impetravit;  
Decano & Promotore DASSOVIO, Poësos & Linguarum ori-  
entalium professore publico & ordinario. Hoc gradu ornatus  
privatas aperuit scholas, legendo & disputando studiosorum  
commodis serviens. Prima disputatio quam ipse Præses è  
superiore cathedra defendit inscripta fuit de Gnoftosophia sive  
ferutinio sapientia, altera de polytheismo, tertia de nobilitate  
agebat. Hæc ea sunt quæ de studiorum academicorum felicissi-  
me peracto cursu accepi. Quoties autem ipse præteriti tempo-  
ris spatiu respiciens academicorum annorum memoriam  
repetit, submissa & devotissima mente veneratur celsissimam  
gratiam

gratiam Serenissimæ Abbatissæ, & totius Capituli Diceccios  
Quedlinburgensis, quod gemino stipendio studia sua ad ejus-  
modi maturitatem perduxit, ut non evenerit sibi, quod multis  
hodie accidit, qui suo & aliorum maximo damno adhuc cruda  
& immatura studia in publicum propellere coguntur. Amplissi-  
mo etiam Senatui Quedlinburgenſi pro paterna benevolentia  
& liberali stipendio immortales se debere gratias, gratissimo  
agnoscit animo. Sed ad illud proprio temporis interval-  
lum quo publicis officiis in ludo literario & ecclesia obeundis  
admotus fuit. Eodem tempore, quo redditum in patriam  
meditabatur, HENNINGIVS, schole patriæ Con-Rector e  
pulvere scholastico ad sacram ministerium vocabatur, nec quis-  
quam ad instituendam iuuentutem Kegelio aptior existimaba-  
tur. Factum igitur est divina providentia, quæ omnia regit, ut,  
ſede tum vacante, a Diceccios Præposita, ANNA DOROTHEA,  
jam tum destinata & confirmata Abbatissa, Duce Saxonæ, Julia,  
Clivæ &c. nec non ab ELEONORA SOPHIA Decanissa,  
& MARIA MAGDALENA, Canonissa, fororibus Comiti-  
bus a Swartzburg & Hohnstein / Dominis suis adhuc Cle-  
mentissimis, functioni illi scholasticae paficeretur. Exegit in  
illa pulverulentissima ac moleſtissima, sed Deo gratissima,  
functione annos propemodum undecim, conjecta rerum  
domesticarum cura in conjugem SOPHIAM AGNETAM,  
JVSTI FRIDERICI BOLLMANNI, Med. Doctoris,  
Archiatri, Physici, & Consulis Quedlinburgensis filiam. Qua  
fide, qua dexteritate literario hoc munere perfunctus fit, de eo  
testantur programmata plurima, nec non tractatus scholasticus,  
quem Cygneum Ciceronis cantum inscribi placuit, Doctorum  
Wittebergensium votivis acclamationibus approbatus. Vn-  
decimo literaria functionis anno, seculi nonagesimo quinto,  
a Serenissima Abbatissa quæ nū ēylos e pulvere scholastico  
protractus, ad diaconatum translatus fuit in æde primaria S.  
Benedicti, sanctissima verbi divini & sacramentorum mysteria  
dispensaturus. Postquam vero ob certas causas supremos  
honores

honores theologicos a Collegio nostro nuperrime petiit, & in  
privatis examinibus iis se dignissimum esse ostendit, censuimus  
eum omnino admittendum esse ad disputationem inaugurealem  
*de gladio in sacramentorum reverentiam deponendo* publice haben-  
dam. Præmittet huic lectiones solennes tres de Sacramentis  
in genere & in specie. Primam earum in publico Theologo-  
rum auditorio habebit die crastino Martis hora III. alteram die  
Mercurii h. XI. tertiam d. Jovis h. II. Omnibus quæ peragenda  
restant rite peractis, in templo nostro academico, proxima  
dominica institutionem cœna dominice concione in fidelium  
cœtu habenda publice explicabit. Quotquot vero sacra  
colunt studia publice hoc programmate invitantur, ut crastino  
die Martis hora post meridiem tertia ad primam lectionem  
audiendam in Juleo majore frequentes convenire velint.

P. P. in Acad. Julia d. XI. Novembr.

an. MDCCIX.




00 A 6348


ULB Halle  
002 927 950



3

1317  
Retro ✓





24a

# PROGRAMMA

QVO

## SACRORVM STVDIORVM CVLTORES

AD

### LECTIONES SOLENNES

A

M. DANIELE OTTONE KEGELIO  
QUEDLINB. AD D. BENEDICT. DIAONO  
S. THEOLOGIÆ CANDIDATO  
IN PUBLICO THEOLOGORVM AVDITORIO  
HABENDAS

*INVITANTVR.*



HELMSTADII,

---

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCIX.